



Pub. M. v. m. 3.

17
DISSERTATIO IVRISPRVDENTIAE NATVRALIS

DE
IVRE BELLII
SOCIETATIS
MERCATORIAE
MAIORIS PRIVILEGIATAE, 1751
12

VULGO
Ciner Octroyrtten Handels-Compagnie.

1921
P. 1
QVAM
PRAESIDE

VIRO CONSVLTISSIMO ET AMPLISSIMO

D. CAROLO FRIDERICO PAVLI

IVRIS PVBLICI ET HISTOR. PROFESSORE EXTRAORDINARIO
DESIGNATO AC SOCIETATIS REGIAE TEVTONICAE
REGIOMONTANAE MEMBRO

DIE MAII MDCCLII.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVEMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

IOANNES ANDREAS BVCHHOLTZ,
HORNBERGO-HALBERSTADIENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



VIRO
REVERENDISSIMO ILLUSTRISSIMO ATQVE
EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
GEORGIO DIETLOFFIO

LIBERO BARONI
AB ARNIM,

POTENTISSIMI PRUSSORVM REGIS IN SAN-
CTIORI CONSILIO ADMINISTRO STATUS AC BELLI
INTIMO, SVPREMAE BELLICARVM ET DOMANIA-
LIVM CVRIAE VICE-PRAESIDI ET ADMINISTRO DI-
RIGENTI, VEREDARIORVM PVBLICORVM SVMMO
PRAEFECTO, STATVVM MARCHIAE BRANDENBVR-
GICAE DIRECTORI, ORDINIS AQVILAE NIGRAE
ATQVE JOHANNITICI EQVITI, COM-
MENDATORI WERBENENSI;
DYNASTAE IN BOYTZENBVRG, ZICHOW ETC. ETC.

DOMINO AC MAECENATI SVO
INDVLGENTISSIMO

DOMINE
REVERENTISSIME, ILLUSTRIS-
SIME, ATQUE EXCELLENTISSIME,

GEORGIO DIETLOPHIO

AB ARNIM.

POTENTISSIMI PRÆSORVM REGIS IN SAN-
CTORI CONSILIO ADMINISTRATO STATVS AC BELLI
INTIMO, SUPREMAE BELLIARVM ET DOMANIA-
LIVM CVRIÆ VICE PRÆSIDE ET ADMINISTRATO DI-



Quod me movit, ut TIBI, VIR ILLUSTRIS-
SIME, hasce laborum meorum academi-
corum primitias offeram, nullum aliud,
quam ut gratissimi erga TE animi publi-
cum monumentum testificarer, fuit inci-
tamentum. Levissimum quidem est, ingenue fateor,
atque VIRTVTIBVS TVIS EXCELLENTISSIMIS mini-
me

me dignum; ast vero ab eximia illa TVA Indulgentia,
qua omnia, praesertim quae a scientiarum cultoribus
proficiscuntur, excipere soles, quaque ad hunc usque
diem frui luculenter fors contigit, spem concipere mi-
hi licet certissimam, ut eodem CLEMENTI vultu hocce
sis adspecturus. Qua igitur fiducia suffultus, nullus
dubitavi, ILLVSTRISSIMO NOMINI TVO, has pla-
gellas, devotissima mentis cultura, nominare sacras.
Cumulus enim MVNIFICENTIAE TESTIMONIORVM, quibus
me, MAECENAS INDVLGENTISSIME, in addi-
scendis scientiis atque artibus sublevasti, major est,
quam ut ullam praetermitterem occasionem, qua tan-
tummodo aliqualem gratitudinis meae maximae ede-
re possem notam. Qua de re suscipias, humillime
obsecro, hocce pietatis, licet admodum exile, docu-
mentum, ac voluntatis potius flagrantissimae, quam
virium exiguitatis rationem habeas. Quod reliquum
est, Summum veneror Numen, & dum vivam vene-
rabor, ut TE, VIR EXCELLENTISSIME, in MA-
XIMI REGIS fortunatissimum imperium; provincia-
rum devenerantium salutem; orbis litterati solatium
ac Patrocinium; clientum vero, quorum in numero
& me habeas obsecro & obtestor, refugium, quam
diutissime in vivis superesse: TE, FILIVM TVVM
PER-

PERILLVSTREM ac TOTAM GENTEM omni fe-
licitatis genere cumulatum esse clementissime jubeat.
Denique ad Immortalem quotidie fundam preces, ut,
quod votorum meorum primum est, Indulgentia
TVA in posterum quoque perfrui queam, & ad ex-
trema permanere,

DOMINE
REVERENDISSIME, ILLVSTRIS-SIME
ATQVE EXCELLENTISSIME,
MAGNI TVI NOMINIS

Dabam Halae ad Salam
V. Id. Maji cIo ccll.

Cultor devotissimus

IOANNES ANDREAS BVCHHOLTZ.



DISSERTATIO JURISPRUDENT. NATURALIS,
DE
JURE BELLII
SOCIETATIS MERCATORIAE
MAJORIS PRIVILEGIATAE.

§. I.



*F*us sibi dicit *privatus*, qui sine superioris auxilio contra *invitum* jus suum persequitur. Remedium vero jus sibi dicentis vel erit *vis externa*, vel non; prius remedium *bellum* vocatur.

SCHOL. I. Optime *Vir Clarissimus* HEISLER in *nuperrime* ventilata *dissertatione de jure retentionis* §. 26. rationibus & auctoritate LL. & DD. planum reddidit vim non unicum jus sibi dicentis esse remedium. Retentione, in qua tamen vis exulat, uti potest jus sibi dicens (§. 28. *cit. Dissert.*). Quamvis quoque vis possit esse remedium & sit plerumque.

A 2

SCHOL.

SCHOL. II. Vitio nobis non vertendum erit in definitione jus sibi dicentis tantum dixisse: sine superioris auxilio, & ei non adnexuisse: vel judicis. Judex enim est instrumentum superioris, per quod agit superior.

SCHOL. III. Jus sibi dicens jus suum persequi necesse habet. Quodsi enim sine jure vim inferret, latro & raptor dicendus esset (vid. Perillustr. L. B. de WOLFF. Jur. Gent. §. 778.).

SCHOL. IV. Nobis pro inficatio de illo jus sibi dicentis remedio, quod vi externa adhibita exercetur, sermo erit.

§. II.

Actus, quibus in bello vis adhibetur, sunt *hostilitates*; *belligerans* vero est, cujus auctoritate hostilitates exercentur.

SCHOL. In definitione hostilitatum mecum consentiunt omnes, quamvis diversis verbis utantur. Sed belligerantes nominari me legisse scio, qui belligerant, vel quod idem, qui hostilitates exercent. Pace vero eorum dixerim: tum omnes gregarii belligerantes forent; id quod nemo umquam asseruit. Determinationem nostram necessariam esse auctoritate PERILLYSTR. FRIDERICIANAE CANCELLARII, qui hac *Jur. Gent.* usus, corroborasse sat est.

§. III.

Bellum dividitur in *Publicum*, *Privatum* & *Mixtum*, prouti belligerantes sunt vel gentes, vel privati, vel gentes & privati simul. *Privatum* & *Mixtum* vero, quae privatos belligerantes supponunt, vel a privatis extra rempublicam viventibus, vel in republica viventibus geruntur.

SCHOL. *Perillustr.* L. B. de WOLFF. *Jur. Gent.* §. 607. 608. 609. hanc belli divisionem, ut *Gentium doctorem* decet, proposuit. Nobis de bello privato & mixto tam extra rempublicam, quam in republica viventium saepius sermo erit.

§. IV.

§. IV. Jus belli dicitur jus omnia ea peragendi, quae ad bellum faciunt; & duo iterum involvit jura generalia, alterum jus ipsam vim applicandi, quod dicitur *jus belligerandi*; alterum omnia instruendi, ut vis utiliter applicetur, quod *jus armorum* dicimus.

SCHOL. Jus belli ab aliis quoque potestas bellica nominatur. Jus belligerandi iterum varias sub se continet species, prouti respicit *belli initium*, vel *ipsum hostilitatum exercitium*, vel *belli finem*, ut Praeceptor numquam satis devenerandus Consultissimus NETTELBLADT in *System. Element. Jur. Nat. Tom. II. §. 803.* docuit. Subspecies juris armorum idem acurissime tradidit *l. c. §. 802. n. II-X.*

§. V.

Introductis rebuspublicis jus belli est jus majestaticum, & privatis non competit, nisi his superioris auxilium plane deficiat, ac aliter privatus jus suum persequi nequeat. Introductis rebuspublicis imperium civile constitutum. Vid. Consultissimus NETTELBLADT *Syst. Elem. Jurispr. Natur. Tom. II. §. 709.* quod in se etiam continet jus praescribendi facienda securitati publicae conformiter, *Idem l. c. §. 13. & 14.* & L.B. de WOLFF. *Inst. Jur. Natur. & Gent. §. 979. & 980.* Nil vero magis concernit securitatem publicam, quam vis adhibita, quae quum occurrat in bello (§. I.) & jus belli sit jus omnia ad bellum facientia peragendi (§. IV.); vides, cur jus belli sit jus in imperio civili contentum. Tale vero dicitur jus majestaticum, Consultiss. NETTELBLADT *l. c. §. 714.* hinc non dubitabis, jus belli in-

roductis rebus publicis esse jus majestaticum. *Quod erat primum.*

Introductis porro rebus publicis privati juri-
bus suis sibi competentibus extra rempublicam vi-
ventibus non renunciarunt; sed executionem juri-
um suorum superiori eatenus tantum demandarunt,
quatenus finis reipublicae requirit, & hunc in fi-
nem jus belli ipsis extra rempublicam competens
jus majestaticum constituerunt. Cessante vero fine
reviviscat status naturalis necesse est; secundum
hunc vero privato competit jus belli L. B. de
WOLFF *Inst. Jur. Nat. & Gent. §. 98. & Consultiff.*
NETTELBLADT *l. c. Tom. III. §. 38.* hinc si su-
perioris auxilium deficit, privatis competere pla-
num est. *Quod erat alterum.*

Quum vero natura ab omnibus durioribus
abhorreat, si leniora ad obtinendum finem suffici-
unt, in bello vero vis adhibeatur (§. I.) sicque duri
quid involvat; vides, cur restrictionem adjiciendam
necessariam duximus: si aliter privatus jus suam
persequi nequeat.

SCHOL. I. Demonstrationem belli privati in republ. *acade-
miae fidus* L. B. de WOLFF suscepit §. 560. & 562. P. VIII.
Jur. Nat. & Gent.

SCHOL. II. Quum privati sint vel singuli homines, vel inte-
grae societates in republica constitutae; quae de jure
belli privatorum diximus, tam ad singulos, quam ad so-
cietates integras in republica constitutas applicandum esse
nemo non videt.

§. VI.

Quum superior deficiat, si sine certo periculo
aut

aut damno expectari nequit; si versamur in loco ab imperio civili vacuo; si superioris auctoritas tanta non est, ut ei obsequium praestet adversarius; si superior justitiam administrare non potest; Et his in casibus privatus non nisi bello jus suum persequi potest; privatis Et in republica jus belli competere datis his casibus certum, quam quod certissimum.

SCHOL. Eisdem casus Consultissimus NETTELBIADT loc. cit. Tom. III. §. 47. proposuit, ita tamen, ut loco superioris deficientis ejus instrumentum, judicem nimirum deficientem, consideraverit. Eodem sensu vid. Perillustr. L. B. de WOLFF in Instit. Jur. Nat. Et Gent. §. 1029. Item vid. Celebrissimi Doct. HELMERI haud longe edita atque egregie conscripta Diss. de jure defensionis caet. §. LXII. Cor. 2, 3, 4 Et Schol. 1.

§. VII.

Privati hostilitates exercentes non sunt belligerantes; sed tum demum, si propria auctoritate hostilitates exercent. Belligerantem enim nominavimus, cujus auctoritate hostilitates exercentur (§. II.). Vim vero adhibere seu hostilitates exercere (§. II.) & auctoritate cujusdam vim adhibere non eadem sunt, ideoque ab hostilitates exercentibus ad belligerantes non valet consequentia. Privati ergo hostilitates exercentes nondum sunt belligerantes; sed tum demum, si propria auctoritate hostilitates exercent.

SCHOL. Bene hoc attendendum duximus, ut nostra in differentiatione non sint, quae confundas & pervertas.

§. VIII.

Societas mercatoria est, quae ad mercaturam exer-

exercendam inita; quae, si ex multis consistit sociis ad commercia cum exteris gentibus exercenda, *major* dicitur (*Handels-Compagnie*); haec prouti vel itineribus terrestribus, vel maritimis finem obtinendum curat, mox *terrestres*, mox *maritima* nuncupatur; & in *privilegiatam* abit, si superior reipublicae, cujus auctoritate erigitur, specialibus eam munivit juribus.

SCHOL. I. De societatibus mercatoriis majoribus privilegiatis maritimis *Gallia, Anglia, Dania, Suecia* & alia regna varia suppeditant exempla, quibus potissimum adnumerandum illud laudabile, ac non nisi regium, quod admirabilia mundi FRIDERICVS II. superiori edidit exemplum in erigenda societate mercatoria majori privilegiata *Embana*. Nec desunt societates mercatoriae majores privilegiatae terrestres. Notitia Statistica Russici imperii talem societatem ad imperium Sinense peregrinantem adnotat; & non dubito fore fere omnes, qui Borusso-Brandenburgicam societatem ad Russicas merces exportandas initum nesciant. Cave tamen confundas societatem, cujus membra quidem mercatores; sed cujus finis non commune commercium, sed communis peregrinatio, qualis in Asia saepenumero occurrit & *eine Caravane* dicitur.

SCHOL. II. Rem acu tetigit in definienda hac societate *Friedricianae decus Illustr.* NETTELBLADT l.c. Tom. II. §. 1063. praeter eum & alii vero & B. HEINECCIUS in definienda hac societate defudavit *Diss. de jure principis circa commerciorum libertatem tuendam* §. 23. & cum Corn. KILIANO in *Diët. Teut. Lat. Gall. pag. 689.* sollicitè inquirat, num vox *Ostroye* sit *Belgica*, an potius *Gallica*? Sed, quamvis nos pro *Belgica* proniores simus, ne jura verbis cedere cogantur; solum hoc Etymologicum ducimus abruptendum,

§. IX.

§. IX. Societas mercatoria major privilegiata est societas in republica constituta, & ad subditos superioris reipublicae pertinet, cujus auctoritate erecta. Societatis mercatoriae majoris privilegiatae finis est mercatura exercenda cum exteris, qui quum non involvat rationem, cur haec societas ab reipublicae imperio exempta sit, & quum potius ejus finis fini reipublicae subordinatus sit; hinc talis societas mercatoria manet societas in republica constituta. *Quod erat primum.*

Verum enim vero, quum societas mercatoria major privilegiata consideranda qua talis; hinc non attendendum ad singulos in societate, sed ad totum sociorum corpus; hoc vero auctoritate cujusdam superioris coaluit (§. VIII.) societas igitur mercatoria major privilegiata ad ejus superioris subditos pertinebit, cujus auctoritate erecta. *Quod erat secundum.*

SCHOL. I. Talis societas mercatoria non praecise semper ex puris sociis constat, qui sunt privati. Possunt quoque ad eam pertinere socii, qui alias sunt superiores. Sic e. gr. Rex Daniae participat de societate Danica Sinensi. Tum vero in rebus societatis superior aliam induit personam, nec aliter, quam alter sociorum quoad societatem considerari potest. Socii singuli saepenumero quoque sunt subditi diversarum rerumpublicarum, qua in re omnes fere societates mercatoriae majores privilegiatae tibi assignabunt exempla. Sed dum hic societas qua corpus consideratur; corpus ad subditos ejus reipublicae pertinere necesse erit, cujus superior sua auctoritate eam crexit.

SCHOL. II. Quum talem societatem ad privatos reipublicae

B

per-

pertinere demonstravimus; hoc amplissimae tractationi de jure superioris in talem societatem ansam praerberet, quam tamen materiam pro more suo egregie jam pertractavit B. HEINECCIUS *Diss. de jure princip. circa commerciorum libertat. tuendam.* Nos vero de jure quodam societatis tantummodo solliciti sumus.

§. X.

Quum societas mercatoria major privilegiata adnumeranda privatis (§. IX.) omnia, quae de jure belli privatorum in genere §. V. VI. VII. dicta, ad societatem mercatoriam majorem privilegiatam sunt applicanda.

SCHOL. Quamvis numquam salus bello, & nemo anxius pacem poscat, quam mercatores, quum experientia teste bellum commerciorum florem maxime turber ac impediat; attamen juris belli privatorum nemini saepius occurrit occasio, quam societati mercatoriae majori privilegiatae; & hoc est, cur de jure belli talis societatis laxiori filo tractaturi sumus.

§. XI.

Bellum est remedium jus suum persequendi (§. I.) jus vero nostrum persequimur vel ita, ut alium impediamus, quo minus id, quod nostrum est, nobis eripiat, vel ita, ut alius id, quod nobis debet, praestet. Hinc oritur belli divisio in *bellum defensivum & offensivum.*

SCHOL. Gentes docuit, quid sit bellum, tam defensivum, quam offensivum *Perillustr. L. B. de WOLFF Jure Gent. §. 67.* & ad posterius refert bellum punitivum *ibid. §. 66.* Dein solide causas belli justas explanavit §§. sequentibus. Nostrum institutum non est enumerare causas belli societatis mercatoriae majoris privilegiatae; sed solummodo doce-

docere, an & quando ei jus belli tamquam privatis competat?

§. XII.

Societati mercatoriae majori privilegiatae jus bellum defensivum gerendi in vasto Oceano contra quemcumque adgressorem competit. Quoniam enim in vasto Oceano sine certo periculo aut damno superioris auxilium a tali societate expectari nequit; hoc in casu vero privatis in republica degentibus competit jus belli (§. VI.) & quae hoc §. dicta ad societatem quaestionis sunt applicanda (§. X.) constat societati mercatoriae majori privilegiatae in vasto Oceano contra quemcumque adgressorem competere jus bellum defensivum gerendi.

SCHOL. I. Mallem nostrae sententiae demonstrationem exinde necitare, quoniam societas in vasto Oceano navigans versatur in loco ab imperio civili vacuo; ast quoniam de hac re aeterna inter eruditos fuere dissidia & *Isaacus PONTANUS* eorum conciliationem onus Aetna gravius vociter, hoc nobis imponere derectamus. Legat, qui vult, catalogum nominum aequae, ac scriptorum eorum, qui hac de re disputarunt, in *B. HEINECCI* *Diss. de navibus ob mercium illicitarum vecturam commissis* §. 1. & 2.

SCHOL. II. Facile vides, nostrum theorema prae primis de illo casu loqui, si naves mercatoriae navibus bellicis superioris reipublicae illis in tutelam concessis (*einer Convoje*) non sunt stipatae. Cum his enim in societate quadam defensiva, quae *Amiralschaft* dicitur, sunt, & hinc a navibus illis bellicis defensionem suam sperandi jure gaudent. *Conf. Celeberr. SURLAND Grundsätze des Europäischen See-Rechts* §. 434. & 435. Sed si vires *der Convoje* non sufficiunt; haud deerit ratio, cur societati mercatoriae

majori privilegiatae jus gerendi bellum defensivum in vasto Oceano non competat?

§. XIII.

Gens barbara dicitur, quae virtutes intellectuales parum colit; *gens culta* vero, quae utitur moribus ad normam rationis & suavitatem compositis.

SCHOL. Perillustr. L. B. de WOLFF hasce definitiones *Jure Gent.* §. 52. & 53. suppeditavit.

§. XIV.

Quum *gens barbara* virtutes intellectuales parum colit (§. praec.), intellectum perficere negligit; vid. PHILOSOPHI nostri *Jus Nat. & Gent.* §. 547. hincque in determinandis actionibus sequitur durum inclinationum & reclinacionum naturalium, IDEM *Philosophia practica universalis Part. II. p. 895. & 896.* sicque nec peregrini ab ea justitiae administrationem sperare possunt; quae ob rationes diversas diversa sunt in gente culta.

SCHOL. Existenciam gentium barbararum tam antiquorum, quam nostrorum temporum nemo umquam negavit, de quarum praecipuis in peregrinos injustitia leges B. THOMASIVM de latrociniiis gentis in gentem.

§. XV.

Societati mercatoriae majori privilegiatae in territorio gentis cultae degenti non competit jus bellum defensivum gerendi, nisi periculum in mora adsit; in territorio vero barbarae gentis degenti jus bellum defensivum gerendi ei competit omni casu. Gens enim culta est, quae utitur moribus ad normam rationis & suavitatem compositis (§. XIII.), hincque justitiae admi-

administratio ab ea speranda (§. XIV.). Sic quum non deficit superior; privatis sibi jus dicere non competit (§. I.) nec remediis violentis utpote bello (§. I.) vti eis integrum, inde nec societati nostrae (§. IX.). *Quod erat primum.*

Pone vero casum, periculum esse in mora, & habebis talem, ubi deficiat superior; in hoc privatus gaudet jure belli defensivi (§. VI.) hinc evidens, societati mercatoriae majori privilegiatae in territorio gentis cultae degenti, si periculum in mora, competere jus bellum defensivum gerendi. *Quod erat alterum.*

Contra gens barbara est, quae virtutes intellectuales parum colit (§. XIII.) ideoque talis, a qua administratio justitiae non speranda (§. XIV.), hinc aequae ac si deficiat superior. Quo casu quum privatis jus belli competat (§. VI.); vides & societati mercatoriae majori privilegiatae in territorio gentis barbarae degenti competere jus bellum defensivum gerendi omni casu. *Quod erat tertium.*

SCHOL. Res exemplis illustranda. Merces deducuntur per loca deserta viarum insidiatoribus latronibusque amoenissima; hic si iter facientes mercatores deplorandam patiuntur sortem, ut eos latrunculi & qui sunt reliqui belli hujus nominis, adgrediantur; nequiquam expectandum superioris auxilium; serius enim medicina pararetur. Hinc existit casus, ubi & in territorio gentis cultae mercatoribus competit jus belli defensivi. In navigantium itinerariis (*algemeine Reisebeschreibungen*) passim vero utramque faciunt paginam illarum gentium descriptiones, quarum rex & grex latrocinando pari in luto haerent. Arabicae gentes famam hac in re sibi confecerunt, & quae

de Tartaris ejusdem farinae sentienda? OLEARIUS in der Moscolwitschen und Persianischen Reisebeschreibung passim docet.

§. XVI.

Quum in territorio gentis turbis repletæ Themis obdormitet & justitiæ administratio cesset, hincque superior non possit administrare justitiam (§. VI.) in aprico jacet: in territorio gentis turbis repletæ societati mercatoriae majori privilegiatæ competere jus bellum defensivum gerendi omni casu, donec res publica requiescit.

§. XVII.

Quum ad gentis territorium non tantum pertineat terræ tractus; sed & mare adjacens, quatenus nimirum in dominio publico est, vid. *Vir magnis in rem juridicam meritis insignis NETTELBLADT System. Elem. Jurispr. Natur. Tom. II. §. 826. quæ §. XV. XVI. diximus tam ad societatem mercatoriam majorem privilegiatam terrestrem, quam maritimam erunt applicanda.*

SCHOL. Sic e.g. in portibus, littoribus gentis cultæ quæque societati mercatoriae majori privilegiatæ maritimæ non competit jus bellum defensivum gerendi, nisi periculum in mora.

§. XVIII.

Quod in genere in bello defensivo justum, observandum quoque in bello defensivo societatis mercatoriae majoris privilegiatæ. Quum enim determinatio societatis mercatoriae majoris privilegiatæ rationem non involvat, cur in suis bellis defensivis aliud quid

quid obtineat, quam obtinet in bello defensivo in genere; manifestum est observandum esse in bello defensivo societatis mercatoriae majoris privilegiatae, quod in genere in bello defensivo justum.

SCHOL. Haec de bello defensivo dixisse sufficiat. Jam ad bellum offensivum nobis liceat transire & enumerare casus, quibus positis societati mercatoriae majori privilegiatae competat jus belli offensivi, de cujus justificis causis idem monemus, quod in Scholio ad §. XI. dictum invenies.

§. XIX.

Societati mercatoriae majori privilegiatae competit jus bellum offensivum gerendi contra privatos omnes laedentes, qui superiorem vel non habent, vel non agnoscunt, nisi per suum superiorem auxilium sperare possit. Contra eos enim, qui superiorem non habent, absonum esset auxilium superioris laedentis expectare. Quum ergo superioris auxilium deficiat; privatis competit jus belli (§. V. VI. X.). Hinc & societati mercatoriae majori privilegiatae. *Quod erat primum.*

Qui superiorem non agnoscit laedens, ejus superioris auctoritas tanta non est, ut ei obsequium praestet adversarius; quo casu quum deficiat superioris auxilium (§. VI.) privatis (§. V.) sic & societati mercatoriae majori privilegiatae (§. X.) contra talem competit jus bellum offensivum gerendi. *Quod erat secundum.*

Quum vero non tantum auxilium superioris laedentis, sed & laesi deficiat, si privatus jure belli gaudere debeat & omne superioris plane deficere auxilium

lium necessarium (§. V.) duxerimus; vides restrictionis necessitatem, societati mercatoriae majori privilegiatae nimirum jus bellum offensivum gerendi non prius competere, quam si quoque auxilium superioris talis societatis deficiat. *Quod erat tertium.*

§. XX.

Quum superiorem non agnoscant ii classici & omnes in navi degentes *Schifs-Kinder* dicti, qui contra navis praefectos rebellant; manifestum est *adiuncta restrictione* §. XIX. & contra eos societati mercatoriae majori privilegiatae competere ius bellum offensivum gerendi.

§. XXI.

Qui vim apertam in mari exercet, vel publica superioris auctoritate stipatus id peragit, vel non; si posterius, vel ex justa causa, vel minus, ille *belligerans privatus*, hic dicitur *Pirata* (*ein See-Räuber*); si prius, vel vim exercendi contra omnes, qui sese non speciali pacto ab hac vi liberarunt, auctoritas concessa, vel contra hostes publicos; si illud, dicitur *Corfarius*; si hoc, vel superioris stipendio vim exercet, vel non; priori casu dicitur *Miles classicus* (*ein Schifs-Soldat, Matrose*), posteriori casu contra *Excursor maritimus* (*ein Caper, Freybeuter*) nominandus.

SCHOL. I. Nullibi has diversissimas definitas legimus personas; quum vero secundum diversitates earum jura differant; operae pretium adesse duximus, notiones earum superstruere. Saepe saepius enim terminos: *See-Räuber, Corfar, Freybeuter*, invita tamen Minerva, confundi neminem fuget.

SCHOL.

SCHOL. II. Piratam & Corfarum vim sine justa praecedente causa exercere nemo non videt; hac tamen distinctione, ut pirata ab omnibus puniendus censeatur; Corfarus vero injuriam suam laesionesve sine formidine poenae superioris sui peragat.

§. XXII.

Quum pirata vim absque publica auctoritate exerceat (§. XXI.) & ei ab omnibus poena expectanda (Schol. II. §. XXI.), hinc superiorem vel non habet, vel non agnoscit; contra tales vero societati mercatoriae majori privilegiatae competit jus bellum offensivum gerendi (§. XIX.). Ergo contra piratam adhibita restrictione §. XIX. idem competit societati mercatoriae majori privilegiatae.

SCHOL. Inde evenit, ut pirata Ismaelis fata sentiat, & communis navigantium hostis habeatur. Miror sane Celeberr. SVRLAND in den Grundsätzen des Europ. See-Rechts §. 637. asserere: Sie (Piratae) sind nicht als Feinde, sondern als Rebellen anzusehen. Falsissimum enim ejus principum gentem tantum hostem nominari posse.

§. XXIII.

Societati mercatoriae majori privilegiatae contra privatum, cujus superior erui nequit sub restrictione §. XIX. jus bellum offensivum gerendi competit. Quum idem esse & apparere in moralibus idem, privatum, cujus superior erui nequit, aequè habendus, ac is, qui superiorem non habet; contra talem vero societati mercatoriae majori privilegiatae competit jus bellum offensivum gerendi (§. XIX.). Ergo contra privatos, quorum superior erui nequit, adnexa restrictione §. XIX. societati mercatoriae majori privilegiatae competit jus bellum offensivum gerendi.

C

§. XXIV.

§. XXIV.

Quum illi, qui contra privilegium aliorum mercaturam exercent, quibus nomen: *Lorrendreyer*, sive *Schmugler*, inditum, veri sui superioris signa, uti sunt vexilla (*die Flaggen*) & litterae publicae maritimae (*die See-Briefe und Pässe*) immutent, falsaque supponant; contra tales, si eorum verus superior erui nequit, societati mercatoriae majori privilegiatae sub restrictione §phi XIX. competit (§. XXIII.) jus bellum offensivum gerendi.

SCHOL. Utilitate praeferenda sunt societates mercatoriae majores, commerciis singulorum, uti pluribus ostendit III. L. B. Bachhoff ab ECHT de eo quod iustum circa commercia inter gentes. Saepius hinc contingit, ut societati privilegium aliquam mercium speciem, vel ad aliqua loca navigandi private concessum.

§. XXV.

Societati contra subditos, a quorum superiore iustitia nullo modo speranda, competit jus bellum offensivum gerendi, nisi per suum superiorem auxilium consequi possit. Pone societatem rem suam habere in locis maxime remotis, ad quae sui superioris manus (quamvis regibus longas esse manus quilibet sciat) porrigere nequeant, & ei a superiore privati laedentis iustitia non exerceatur; sic habebis casum, quo superioris auxilium deficit (§. VI.). Quo quum privatis (§. V.), per consequens & societati mercatoriae majori privilegiatae (§. X.) competat jus belli; nostrum theorema omnibus carere dubiis manifestum est.

§. XXVI.

§. XXVI.

Quum Corsari vim auctoritate publica exer-
ceant contra omnes, quorum natio sese ab eorum
insultibus pactis non liberavit (§. XXI.), adeoque
his ab eorum superioribus nulla justitia speranda
est; vides, *contra eos societati mercatoriae majori pri-
vilegiatae maritimae, cujus superior suos subditos
speciali pacto cum Corsaris inito non liberavit, sub
restrictione §. XXV. competere jus bellum offensivum*
(§. XXV.). E contrario *societati mercatoriae majori
privilegiatae maritimae, cujus superior pactis do-
nationibusve subditos suos a Corsarorum insultibus li-
beros reddidit, non competit jus bellum offensivum
contra eosdem gerendi, quia ipsi a suo superiore ju-
stitia speranda.*

SCHOL. I. Superior Corsarorum vociretur *Bey, Day, Divan*
vel alio nomine insigniatur perinde; & experientia edocti
scimus, multas gentes cum famigeratissimis Corsarorum
Algirensium, Tunetanorum, Tripolitanorum, Salecensium re-
buspublicis de non laedendis navigantibus suae nationis
pacta condidisse.

SCHOL. II. Plura hic essent dicenda de iis navigantibus, qui
alius reipublicae subditi vel usurpant, vel concessa praec se
ferunt signa ejus gentis, quae cum Corsarorum rebuspub-
licis pacta de non laedendo iniit; ne vero limites disser-
tationis transgrediamur, adnotasse satis est, quum quid hoc
casu justum? ex nostris principiis facile dijudicandum sit.

§. XXVII.

*Contra totam gentem jus bellum offensivum
gerendi competit societati mercatoriae majori privile-
giatae, quam superior societatis adgredi nequit.*
C 2 Quam.

Quamvis enim gens laedens superiorem non agnoscit, tamen societati laesae non omnis superior deest; habet enim suum superiorem, per quem jus suum persequi potest. Quodsi vero hic laedentem adgredi nequit gentem; adest casus, quo omnis deficit superior. In hoc vero quum privato (§. V.) ac societati mercatoriae majori privilegiatae (§. X.) competat jus belli; manifestum est, contra totam, gentem, quam superior societatis adgredi nequit societati mercatoriae majori privilegiatae competere jus bellum offensivum gerendi.

§. XXVIII.

Quum milites classici & excursores maritimi auctoritate publica vim exercent (§. XXI.) hincque non pro belligerantibus habendi (§. VII.); *quicquid ab iis peractum, superiori & genti tribuendum, cujus auctoritate hostilitates exercent.*

§. XXIX. *Observatio.*

Societati mercatoriae majori maritima privilegiatae a suo superiore ut plurimum jus belli, pacis & foederum auctoritate sui superioris exercendum in certo speciali privilegio conceditur.

SCHOL. Possent hoc si vellem, ex omnibus ferme privilegiis ejusmodi societatibus concessis sufficienter corroborare. Loco omnium vero hic allegasse sufficiat SCHMAYSSII *Corpus Jur. Publ. & Gent. Academicum* p. 450. seq. „Premier Edit d’O&troi fait par les Etats Generaux des Provinces Unies des Pays-Bas, pour la Compagnie des Indes Occidentales. A. 1620. Artic. 2. Que ladite Compagnie en nôtre nom & authorité dans les Pais & limites ci-dessus pourra faire Alliances, Traitez & accords, avec les Prin-

„Princes & Nations, dedit Pais, comme aussi batir forte-
 „resses & lieux de sureté, y établir Gouverneurs, gens de
 „guerre & officiers de Justice, Police, & autres administra-
 „teurs nécessaires, pour la conservation des places, entre-
 „tien de bonne discipline, Justice, & Police, & pour l’avan-
 „cement du commerce, les déposer, licencier & subroger
 „autres, en leurs places, ainsi qu’ils trouveront nécessaire
 „& convenable selon les occurrences: - - - & sera ladite
 „Compagnie tenue nous communiquer & livrer successi-
 „vement les Accords, Traitez & Alliances, qu’ils auront
 „faits avec lesdits Princes & Nations ensemble, nous in-
 „former, des Fortereffes, seuretez & colonies par eux faites
 „ou encommencées.

§. XXX.

*Bellum a societate mercatoria majori privilegia-
 ta auctoritate superioris sui gestum; non est bellum pri-
 vatum, sed publicum, nec societas mercatoria major
 privilegiata, sed ejus superior est belligerans. Quum
 bellum publicum dicatur, cujus belligerans gens,
 privatum, cujus belligerans privatus (§. III.); belli-
 gerans vero sit, cujus auctoritate hostilitates exer-
 centur (§. II.); vides, cur, si bellum auctoritate su-
 perioris a societate mercatoria majori privilegiata
 susceptum, hocce species esse debeat belli publici,
 non privati, ac in eo non societatem mercatoriam
 majorem privilegiatam, sed ejus superiorem esse
 belligerantem.*

SCHOL. Possé tamen tale bellum esse mixtum nemo non vi-
 det, si scilicet is, quocum societas auctoritate sui superioris
 bellum gerit est privatus.

§. XXXI.

*Si societas mercatoria major privilegiata excur-
 siones*

siones maritimas exercet, non est pars belligerans, sed ejus superior. Quum enim excursor maritimus vim in mari exercet auctoritate publica (§. XXI.); is vero dicatur belligerans, cujus auctoritate hostilitates exercentur (§. II.); extra omnem dubitationis aleam positum est, non societatem mercatoriam majorem privilegiatam excursions maritimas exercentem, sed ejus superiorem, cujus auctoritate hostilitates exercentur, pro belligerante haberi.

SCHOL. Plura de excursoribus maritimis habet B. WILLENBERGIVS in *Diss. de eo, quod justum est circa excursions maritimas*, CVLPIS de *privatis in hostem excursionibus* ac CLEBERRIMVS SVRLAND in *Dissert. de jure commerciorum in bello* §. XI. & EJUSDEM *Grundsätze des Europäischen See-Rechts* §. 439. seq.

§. XXXII.

Si societas mercatoria major privilegiata belligerans, omnia in bello fiunt ad nutum ejusdem societatis; si vero superior belligerans, societas talis hostilitates exercet ad nutum superioris, quamquam hostilitates exercendi modus ipsi per privilegium relictus. Auctoritate enim alicujus fieri dicuntur, quae ad cujusdam voluntatem exercentur; hostilitates ergo exercendae ad nutum ejus, cujus auctoritate bellum geritur. Quodsi ergo societas mercatoria major privilegiata belligerans, tum ejus auctoritate bellum geritur (§. II.). Ergo ad nutum societatis nostrae in tali bello hostilitates exercentur necesse est. Quod erat primum.

Pari ratione, si superior belligerans, bellum geritur auctoritate superioris (§. II.); hinc tali in bello hosti-

hostilitates ad nutum superioris exercendae. *Quod erat secundum.*

Quum vero quilibet voluntatem suam declarare possit vel generaliter, vel specialiter; utique hostilitates exercentur ad voluntatem superioris, si societas mercatoria major privilegiata bellum publicum ita gerat, ut secundum sui privilegii tenorem ipsum modum hostilitates exercendi determinet. *Quod erat tertium.*

SCHOL. Societas auctoritate publica hostilitates exercens, est species militum seu personarum, per quas belligerans alteri vim infert, de quibus *Perillustr.* L. B. de WOLFF *Jure Gent.* §. 610. in Scholio haec sentit: „Sunt milites causa belli instrumentalis, sicuti auctor belli causa principalis. „Notio nimirum causae efficientis principalis & instrumentalis, quam alibi explicavimus (§. 890. Ontol.), ita „attemperanda, quemadmodum exigit differentia inter „causam physicam & moralem. Nimirum causa moralis „vi desitura intelligitur, si desit jus agendi proprium: „quando vero agit jure alterius, vi aliunde accepta agere „concipitur, & tunc se habet per modum instrumenti „ (§. 891. Ontol.). Hinc GROTIUS milites instrumenta „belli vocat & in genere ad instrumenta refert homines, „qui ita agunt voluntate sua, ut ea voluntas ab altera pendeat, de *J. B. & P. Lib. 1. cap. 5. §. 3. ibidemque* subditos „instrumentum imperantis appellat.

§. XXXIII.

Si societas mercatoria major privilegiata bellum privatum gerit, & dominium & imperium rerum bello occupatarum sibi acquirit; si superior belligerans, seu quod idem, si societas mercatoria major privilegiata bellum publicum gerit, omnia acquiruntur superioribus.

superiori, nisi privilegia aliud quid disponant. Jure Gentium enim voluntario occupatio bellica est modus acquirendi dominium & imperium belligerantium; vid. L. B. de WOLFF *Jur. Gent.* §. 892. Si ergo societas mercatoria major privilegiata bellum privatum gerit, ea est belligerans (§. III.); hinc quae occupatione bellica acquiruntur, sibi acquirunt. *Quod erat primum.*

Quodsi vero bellum publicum gerit, superior est pars belligerans (§. III.). Ergo omnis acquisitio in bello publico facta, non societatis mercatoriae majori privilegiatae, sed superioris est. *Quod erat secundum.*

Quum vero quilibet jura sua in alios transferre possit; nullum est dubium, quin & superior dominium aequae, ac imperium rerum atque personarum bello publico occupatarum in societatem mercatoriam majorem privilegiatam transferre possit. *Quod erat tertium.*

SCHOL. I. Quum societas bellum publicum gerens non stipendio utatur superioris, sed suis impensis, quae ad exercendas hostilitates necessaria sunt, instruat, loco stipendii saepenumero dominium & imperium vel simul, vel illud demto hoc in societatem nostram superior transferre solet vel pure, vel conditionare. Habes hac de re egregium exemplum in privilegio societati Borusso-Emdanae concessio. Sed ex his vides, & hoc in casu, quae societas mercatoria major privilegiata acquirunt, non ab hostibus acquirere, sed a superiore suo, traditione videlicet brevi manu facta.

SCHOL. II. Quum societas mercatoria major privilegiata excursionibus maritimis exercens publicum gerat bellum, ac omnes ad nutum superioris hostilitates peragat, simulque
non

non nisi ex litteris privilegii quid acquirat; non difficile erit intellectu, cur *Celeberrimus SVRLAND* ab omni excurfore maritimo in *den Grundsätzen des Europäischen Sec-Rechts* cautionem requirat? Num vero cautio haec definitioni excurforis maritimi intexenda, uti *IDEM* in *Diss. de jure commerc. in bello* §. XI. nota. c. pag. 26. desiderat, indeque omissionem ejusdem *B. WILLENBERGIO* exprobrat, non video. Haec de acquisitione bellica, ad quam pertinet & acquisitio bellica navium (*der Priesen*).

§. XXXIV.

Jus armorum societati mercatoriae majori privilegiatae competit, quatenus ad bellum defensivum necessarium est. Quum enim ei, qui jus ad finem habet, jus ad media comperere debeat; jus armorum vero sit jus omnia instruendi, ut vis utiliter applicetur (§. IV.); societati mercatoriae majori privilegiatae vero nonnullis casibus competat jus belli defensionis (§. XII-XVIII.). Vides, ei competere jus armorum, quatenus ei ad bellum defensivum datis in casibus necessarium.

§. XXXV.

Dum enim ad jus armorum pertineant & societati mercatoriae majori privilegiatae ad bella sua defensiva necessaria sint; *ejusmodi societas armata iter facere & naves mercatorias armare itemque societatem defensoriam maritimam (eine Admiralschaft) inire potest.*

SCHOL. De societate defensoria maritima (*der Admiralschaft*) pluribus egit *MARQUARDVS* de *jure mercatorum* Lib. II. c. II. n. 35-38. p. 305. & *Celeberrimus SVRLAND* in *den Grundsätzen des Europ. Sec-Rechts* §. 273. seq.

D

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Quum vero ad bellum defensivum varia dentur arma, ac sufficiat societati mercatoriae majori privilegiatae eis armis uti posse, quibus se suaque defendat; *societas mercatoria major privilegiata per territorium quoddam iter faciens vetitis in territorio isto uti minime potest armis.*

SCHOL. Dantur nihilominus exempla, quibus societatibus mercatoriis majoribus privilegiatis speciali pacto vel privilegio arma alias prohibita gestare permittitur. Conf. *die Mayländische Capitulation mit den Grau-Pündtern de dato den 24. Octob. 1726. in den Verbesserungen Artic. XVII. apud SCHMAVSSIVM in Corp. Jur. Gent. academ. p. 2028.:*
 „Ferner erlauben Wir allen Herrn Pündtern und ihren
 „Unterthanen, daß sie auf ihren Reisen nicht allein aller
 „Gattung defensiv- und offensiv-Waffen tragen können,
 „wie das Capitulat disponirt, sondern auch Pistolen, wann
 „sie nur nicht kleiner sind, als acht Brescianer Untzen, un-
 „angesehen des letzlich publicirten Edicts und aller an-
 „dern, die deswegen herauskommen; jedoch vermittelt
 „gebührender Behutsamkeit, deren man sich in Legitimie-
 „rung seiner Person zu bedienen hat, wie der vierte Arti-
 „cul des Capitulats ausweist.

§. XXXVII.

*Jus armorum ad bellum offensivum necessarium in republica, cujus pars est societas mercatoria major privilegiata, non, nisi quatenus superior privilegio id permittit, competit. Quum enim jus armorum ad reipublicae securitatem prae primis faciat, quae vero talia sunt, ad jura majestatica pertinent; sequitur jus armorum privatis non compe-
 tere,*

tere, sed superiori. Societas vero mercatoria major privilegiata est societas in republica constituta & ad subditos superioris pertinet, cujus auctoritate est erecta (§. IX.). Hinc jus armorum ad bellum offensivum necessarium in republica, cujus pars est ejusmodi societas, ei non, nisi quatenus superior id permittit, competit.

§. XXXVIII.

Quum jus armorum sit jus majestaticum, sequitur illud jus, quoad bella offensiva, nec in territorio alterius gentis competere societati mercatoriae majori privilegiatae, quam quatenus superior alterius gentis id permittat.

§. XXXIX.

Ex eadem ratione nec in territorio a societate mercatoria majori privilegiata bello quaesito ei competit jus armorum, cujus imperium superiori hujus societatis, non societati ipsi competit.

§. XL.

Quum vero superiori competunt jura majestatica, ad quae pertinere jus armorum constat; Societati mercatoriae majori privilegiatae competit jus armorum in eo territorio, cujus imperium societati nostrae subest.

§. XLI.

Quum ad jus armorum pertineat jus armamentaria publica instituendi, jus fabricandi arma, jus armorum usum quoad subditos determinandi, jus extruendi fortalitia seu munimenta ac naves bellicas, jus granaria & aeraria militaria erigendi, jus milites

terrestres aequae ac classici legendi (*Soldaten werben und Matrosen pressen*), jus praesidiarium tam in fortalitiis, quam in littoribus, (*miles vero praesidiarius in littore dicitur ein Küsten-Bewahrer*), jus metationis, jus sequelae, jus aperturae, si milites ducendi, jus leges militares ferendi; quae de jure armorum §. XXXVII-XL. dicta ad haec jura sunt applicanda.

§. XLII.

Quum repressaliae sint belli species (*Perillustr. L.B. de WOLFF Jur. Gent. §. 603.*). Omnia, quae de jure belli societatis mercatoriae majoris privilegiatae diximus, ad repressalias erunt applicanda.

§. XLIII.

Sufficere haec judicavimus, ut specialia, ab aliis, quae generalem postulant tractationem, separentur, quo distinctae rerum cognitioni inferviamus. Nostrae materiae principia delibavi, ut opinor, sufficienter. Tu, *Lector Benevole*, hos conatus qualescunque boni consulas & quae tuum non habebunt calculum, ea aliorum forte sensis accommodata cogites, ac non gloriae, ac honorum, sed exercitii gratia hunc in me suscepisse laborem pensites. Gravibus compulsus rationibus brevitati mihi erat studendum. Qua de re, utut stadio Academico, ita & disertatiunculae in Deum pius, pius in Maecenatem, cui plagulas submissa jussi sacras esse mente, subscribam

F I N E M.

PRAE-

PRAE NOBILISSIMO
DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.
DANIEL NETTELBLADT.

Inter varias alias veritatum logicarum divisiones occurrit etiam haec, quod aliae sint pragmaticae, aliae vero non. Nolo hic, hanc satis notam divisionem, explicare, sed tantum monere, eodem sensu etiam distinguendum esse inter themata dissertationum, cum & haec omnino vel pragmatica sint, vel non. Exempla cum illustrent, nonnulla in medium proferam. Qui occasione *l. 16. §. 7. ff. de public. & vestigialibus* in piperis genera, & utrum praeter album & longum adhuc tertium detur, inquirere: aut occasione *l. 32. ff. de aur. arg. & c. leg.* de PAVLI pediculis differere; vel etiam cum ZASIO *ad l. 3. n. 7. & 8. ff. de legibus*, aut, an is, cui caput gladio abscissum est, si contingeret eum reviviscere, iterum eodem supplicio mactandus sit? aut, an Lazarus redivivus uxorem suam reperere potuisset? inquirere: nec non PETR. ROYZII *Decis. ituan. 3. num. 362.* vestigia legendo, an, cum pater & filius pro una persona habeantur, ideo filius suo ieiunio patrem a necessitate ieiunandi solverit? sub examen vocare vellet, thema eligeret posterioris generis. Exempla vero thematum prioris generis non e longinquo sunt petenda, cum a TE, Clariss. Dn. BVCHHOLTZ, electum docteq; elaboratum thema sit satis pragmaticum, licet forsân non sit ad omnium palatum. Gratulor TIBI itaque de hoc eruditinis specimine, & gaudeo TE nec ea studia neglexisse, quae ex vulgi perversa opinione non sunt de pane lucrando. Plura adderem, si tempus permitteret, hinc vale mihi que fave. Dabam Halae d. X. Maji MDCCLI.

msb

D 3

PRAE-

NOBILISSIMO AVCTORI

S. D. P.

P R A E S E S.

Num hisce litteris TE, AN ILLVSTRISSIMVM GENERO-
 SISSIMVMQVE MAECENATEM *Tuum* laudibus extol-
 lam, valde pensito dubitoque; cum clementiam exhibens;
 ab omni bono, maiorem mereatur admirationem; quam
 qui beneficia in se collata ex intentione Evergeris sui col-
 locat. Hic ad quae strictissime est obligatus efficit; Ille
 non nisi Magnanimitate, Virtutis Majestate, Misericordia
 ductus miseris porrigit manus, ac divinam indolem com-
 monstrat, ubi nec gloria, nec beneficiorum remuneratio est
 exspectanda. Equis vero est, qui CLEMENTEM aequae
 ac MAGNANIMVM ILLVSTRISSIMVM ab ARNIM igno-
 ret? SACRVM HOC NOMEN! CVIVS laudes in ore omni-
 um, CVIVS merita ubique effusa, CVIVS gloria ipsi invi-
 diae immobilis? *Tuum* cum aliis sexcentis, non inconsue-
 rum quidem, admirabile tamen, clementiae egenorum Pa-
 tris, exemplum, in TALEM pietatem excitat EVERGETEM.
 HVIC & ipse vivere dudam iam constitui; o! si inter
 HVIVS clientes loco dignus judicaret! *Tibi* vero, *Claris-
 sime*, de TALI gratulor DOMINO: omnia de eo *Tibi* erunt
 speranda, cum beneficia bene collocaveris. Ex quo enim
 nostram saluasti Fridericianam, Philosophiam ex ore *Perill.*
Dn. L. B. de Wolff ac Acutissimi Dn. Meyeri haufisti, Jura ex
Directore Nostro Perill. Dn. Knorre & ex Celeberrimo Dn.
Nettelbladt didicisti, in historicis denique *Doctissimo Dn.*
Joachim, meque usus es Doctoribus. Omnibus his praele-
 ctionibus interfuisti ea, qua decet, alacritate ac attentione.
 Ceterum, privatarum lucubrationum multitudinem com-
 monstraturus, me comite, publicam conscendere cathedram

dram constituis, ac nobilissimam ventilandam Tibi sumis
materiam. Exstant quidem plurimorum de commerciis
praeprimis maritimis erudita monumenta, inter quae nu-
perrime *Celeberr. CHRIST. GOTTHELF GUTTSCHMID. de*
commerciorum favore occupat locum. Ut de reliquis, prae-
fertim olim NOSTRO HEINECCIO, raceam, quae de Borussii-
cis scripta sunt commerciis, brevibus adnotabo. PHILRICH.
SCHROEDER de Jure Teloniorum in Borussia Reg. 1716.
BALTH. TILESIVS de jure limitis in aquis constituti ib. 1716.
III. THEOD. PAVLI de bonis naufragorum, fisci & privato-
rum acquisitionem effugientibus, Reg. 1689. JOH. HENR.
HOYER de Havaria, Reg. 1700. MELCH. LÜBECK de jure A-
variae singulari Reg. JOH. AMSEL de singularibus juris ma-
ritimi, Reg. 1722. BENJ. RAULEE Deduction van een nieume
Admiraliteyts en Commerciën Collegie, in Colbergen, Conigs-
bergen ende Mümmel, Haag. 1680. & germ. Reg. 1680. Dedu-
ctie, opgesteld by de Keur-Vorstelyke Brandenb. Africaensche
Compagnie tot beveeringhe van haer Recht, om te waeren ende
te handelen, op, ende langs de Kust van Gwinea fol. AUG. HIP-
POL. BONE vierfacher Beytrag zur Erleuterung des Preussi-
schen See-Rechts 1744. Cel. JOH. LUD. L'ESTOCC Auszug der
Historie des Preussf. See-Rechts, Königsb. 1747. cui annexum
AVUNCULI PERILLUSTR. REINH. FRID. VON SAHME Ein-
leitung zum See-Recht des Königreichs Preussen, conscripse-
re. Ast neminem adhuc unquam de jure belli societatis
mercatoriae majoris principia demonstraſſe pro certo ha-
beo. Faxit interim Summum Numen, ut TIBI omnia ex
voto cedant, ac non desint Maecenates. Praeprimis ser-
vet DEUS T. O. M. ILLUSTRISSIMUM ab ARNIM cum
GENTE SUA ILLUSTRISSIMA, tum enim non deerunt,
quae oprabis. Vale. Dab. in Frider. VI. Idum Maji
1750.

DOCTIS-

DOCTISSIMO AVCTORI

S. D. P.

FRIDERICVS GVILIELM. WILD,

J. V. C. Oppon.

Non possum non, quin singularem, quae inter nos, *Aestimatis-
sime*, intercessit amicitiam jam publice faciam testaram,
cum *Tua*, quam discedens conscripsisti, Dissertatio occasionem
mihi dedit exoptatissimam. Si encomiastem hac occasione simul
me agere vellem magnus profecto pateret campus, quo in re-
censendis animi *Tui* Virtutibus excurrere possim. Verum
enim vero cum hoc ipsum publice expositum specimen jam sa-
tis de *Tuis* loquitur animi dotibus, omnem omnino perditurus
fuissem operam. *Tuis* ex profectibus satis constat, TE otio &
rebus ludicris non transegisse Academiae stadium, sed eo omni-
bus annisum fuisse viribus, ut illam, quam patria de te concepit,
spem expleas. *Tua* eruditio *Maccenatibus* mox TE commen-
dabit & nullum dubium est, quin fructus studiorum *Tuorum*
breui experiaris largissimos. Ego vero nil magis in votis ha-
beo, quam quod etiam in posterum me *TVAE* amicitiae haud
indignum judicare velis. Vale. Dab. Halae d. 10. Maji
1700.

Sim, werthgeschätzter Freund, den treuen Glückwünsch-
hin,
Den Pflicht und Schuldigkeit Dir freudig überreichen,
Und glaube, daß ich iht durchaus gerühret bin,
Da Deinem Fleiße auch die besten Früchte gleichen:
Hinführo trage nun die reichen Garben ein,
Die Müß und Arbeit Dir, wie Du verdienet, geben:
Mich aber laß indeß, wenn wir getrennet seyn,
Als einen guten Freund im Angedencken leben.


Heinr. Wilh. Christinnecke,
B. N. B. Oppon.



Halle, Diss., 1751 H (II-Z)







Farbkarte #13

B.I.G.

Pub. N. Num. 3.

17

DISSERTATIO IVRISPRVDENTIAE NATVRALIS
DE
IVRE BELLI
SOCIETATIS
MERCATORIAE
MAIORIS PRIVILEGIATAE,

VULGO
Ciner Octroyrten Handels-Compagnie.

1921
i. d.

QVAM
PRAESIDE
VIRO CONSVLTISSIMO ET AMPLISSIMO
D. CAROLO FRIDERICO PAVLI
IVRIS PVBLICI ET HISTOR. PROFESSORE EXTRAORDINARIO
DESIGNATO AC SOCIETATIS REGIAE TEVTONICAE
REGIOMONTANAE MEMBRO

DIE MAII MDCCLI.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR ET RESPONDENS
IOANNES ANDREAS BVCHHOLTZ,
HORNBERGO-HALBERSTADIENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELI, ACAD. TYPOGR.

